

Clemens Roman. Clemens Alexand. S. Bernard.

concessisti, ut res essent, per eundem fecisti ut bene essent. Et Clemens Alexand. in exhort. ad Gentes: Hoc ergo Verbum, ille Christus, & ut essemus (erat enim in Deo) & ut bene essemus, causa fuit. Cujus rei rationem exhibet S. Bernardus Tract. de Passione Dominica c. 24. Si enim per alium, quam per ipsum, per quem sumus formati, reformati essemus, plus reformati nostro, quam formatori deberemus. Hinc factum, ut quando Deus aethera firmabat sursum, & appendebat fundamenta terrae Proverb. 8. 39. incarnata Sapiencia cum eo erat cuncta componens. Hebraice, cuncta firmans, stabilis, sustentans: utique crucis ligno, suisque humeris Crucis adsociatis. Ut enim Macharius Chrysocephalus in Orat. de Exaltat. Crucis: Crux caeli fulcimentum est, totumque mundum sustentat.

Prov. 8. 29.

S. Machar. Crux fulcimentum caeli & terra.

Christus & Crux. Minus illumina. Job 36. 32. Joan. 3. 19.

927 Nec solum mundi machinam Christum suam Cruce, & humero sustinet, sed & Cruce tanquam ex candelabro aureo suas illuminationes creaturas. Etenim de Deo agebat Job supra: In manibus abscondit lucem: iis utique abscondit, qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem, Joan. 3. v. 19. Quando ergo luci praecipit ut rursus adveniat ad mundi illuminationem? Tunc plane, cum ejus sacratissimae manus in Cruce suffixae sunt, & clavis perforatae; inde larga manu lux rursus advenit, & multiplex gratiae lux, quae illuminat omnem hominem: a dos manus, a manus llenas, a manus rotas nos reparatio su lux: & iisdem manibus, quibus in mundi primordio lucem condidit, fecit, ut oriretur nobis lumen indeficiens. Hoc illud est, quod Abac. 3. vers. 4. praedixerat: Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus. Vatablus effert: Ut lux solis erit; splendor de manu ejus fuerunt. De Christo cruci affixi sermonem esse multi existimant cum S. Hieronymo in Epist. ad Paulinum: Habacuc stat super custodiam suam, ut Christum in Cruce contempletur, & dicat: Cornua in manibus ejus. Et est per hypallagem dictum, cornua in manibus, pro manus ejus in cornibus seu brachiis Crucis affixae, & clavis perforatae: Ecce unde solaris lux, & splendor ad terras illuminandas; a Christi manibus perforatis, a fissuris clavorum. Recte hic Hugo Carenis: Erit splendor ejus ut lux, quando ipse velut lucerna super candelabrum Crucis elevatus, mundum illuminabit: lucis quidem copia ex terebratis ejus manibus ebulliente, & promicante.

Ap. c. 3. 4.

Ex tenebris Christi manibus copia lucis. S. Hieron.

Hugo Cardinal.

Cart. 5. 24. Manus Christi crucifixi instar calicium sphaerarum luminosa.

Rupert. Christi manus calum & terram tornaverunt.

larum corporibus. Nonne vix dum ipse dixit, fiat lux, & statim facta est lux? Dominicis igitur manibus deferenda lucis copia mundum illuminantis. Sed observa, sermonem hic esse de Christi manibus in Cruce extensis, & perforatis. Tunc enim (ut praecclare Philo Carpat.) Christi manus tornatiles factae sunt, cum eas pro salute nostra crudelissimis clavis in vita ligno perforatas extendit. Ab iis manibus lux omnis, sol, luna, & stellae: ab his manibus factum, ut oriretur lumen gratiae indeficiens. En tibi quo speciali jure Christus Dominus asseratur mundi conditor, lucis in primis; sed illius potissimum, quae lux gratiae & gloriae dicitur, de qua in sequentibus.

Philo Carpat.

SECTIO XXXIII.

Christus Dominus adhuc asseritur nobilioris, sublimiorisque indeficientis luminis effector; Gratia nempe & gloriae, nec non Eucharistici Sacramenti.

§. I.

Universum, praedicta Thesis statuitur.

929 Mhi sane persuasum habeo, primigeniam illam solis lucem exitisse rei illustrioris umbram nobiliori adhuc lumine venustandam. Itaque reor, sub indeficientis luminis metaphora non solum in sensu mystico, sed in sensu litterali metaphorico dari intelligi supernaturalem totius gratiae, & gloriae lucem, nec non divinisimae Eucharistiae mysterium, qua veluti praludebat Deus in illa primigeniae lucis productione, tantopere illi grata. Neque idcirco nego priorem, historicum & quasi materialem sensum litterarium de primae lucis, sive solaris globi creatione, sed novos alios litterales sensus sub ea lucis metaphora astruo, quos credibile est a Moyse intentos, qui prophetiae dono afflatus (ut agebat Rupertus supra) Christum humani generis ductorem, & restauratorem, imo rerum omnium conditarum finem, & scopum praevidebat, & commendabat. Huic nostrae cogitationi favent S. Augustinus, Eucherius, Beda, Isidorus, Anselmus, & alii relati in Glossa magna Martinengi; qui in primigenia illa luce Angelorum creationem agnoscunt: & quamvis ex his Doctoribus nonnulli mysticam hanc interpretationem esse arbitrentur; litterariam seu historicam putat S. Augustinus, plurimis in locis, lib. 11. de Civit. c. 7. & de Genes. imperfect. c. 5. & de Genes. ad litteram lib. 1. a cap. 10. ad 20. & lib. 4. a cap. 21. ad 28. & contra Faustum Manich. lib. 12. cap. 10. & alibi.

Sensus litteralis metaphoricus de luce gratiae & gloriae.

Duplex sensus litteralis.

Psal. 18. 1.

930 Neque inusitatum est sacrae Scripturae, praeter historicum sensum, quem verba immediatè significant, dari etiam altiorem alium intellectum per verba ipsa proximè etiam significatum metaphoricè. Sic Psalmus 18. a v. 1. usque ad 8. Celi enarrant gloriam Dei, &c. duplici saltem sensu litterario gaudet, & materiali, seu historico, & altiori alio, & quasi spirituali. Materialis sensus litteralis est de caelorum natura, solis circuitione, & illuminatione. Principalior sensus litterarius est de Apostolis, virisque Apostolicis, eorumque praedicatione, qua totum orbem illustrarunt. Et utrumque sensum existimo per verba signi-

Psal. 8.

significari immediatè, etsi secundus sensus sit metaphoricus, sumptà metaphorà à caelis, à caelorum motu; à sole, solisque illuminatione. Sic etiam illa verba Psalmi 8. Ex ore infantium & lactentium percipisti laudem, ut destruas inimicum, & ultorem. etsi de acclamatione Christi facta à pueris in die Ramorum nonnulli Patres exponant, atque hic sit litteralis sensus historicus; est tamen alius sensus verè literarius, & praecipuus de propagatione Evangelii, & Apostolorum praedicatione, qui infantes & lactentes appellantur, quia uti infirma mundi electi à Deo sunt, ut confunderent fortes. Et universim, ea, quae de Christo & Ecclesia à Prophetis miraculosa enarrantur, licet prius fuerint expleta in Christi praedicatione, Ecclesiae tamen statum ad litteram respiciebant. Ut est illud Isaiae 35. 5. Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt: tunc sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quod de miraculis à Christo paratis, dum caecos, surdos, claudos, & mutos corporaliter curavit, debet litteraliter intelligi; nec non potissimum sensu alio litterario, de caeca Gentilitate idolatriae tenebris obvoluta, & per lucem, & splendorem Evangelii illuminata, & sanata; de illius auribus ad caelestes sonos antea obstructis, & postmodum ad caelestes sonos apertis; de ejusdem claudis & vacillante gressu, jam obfirmato, veloci & agili; & de ejus lingua impedita & muta, soluta jam & expedita.

Isai. 35. 5.

S. Nazianz.

931 Ergo, juxta haec, in eo primigenio solis lumine, de quo noster Siracides, non id solum intelligo, quod propriè & historicè sonat, sed praesertim quod per eam lucem metaphorico significatur sensu; scilicet omnem gratiam auxiliantem, sanctificantem, glorificantemque, & ipsam bonam gratiam, Eucharistiam nempe, exuberantem Ecclesiae lucem. Ut enim egregiè S. Nazianzenus Orat. 18. Divina sapientia magnarum rerum multo ante fecit fundamenta.

§. I I.

De indeficiente gratiae lumine, peccati tenebras dispelleme.

Palacios.

Gratie dona lucis vocabulo designantur.

2. Corint. 6. 14. Ephes. 5. 8.

932 Fulgentissima gratiae & gloriae lumina praeruluxisse in primæva illa solis luce, & commendata hic à nostro Siracide, rectè sentiunt Palacios, & ex parte Dionysii. Carthusii, & Hugo, qui per lumen indeficiens, Angelorum claritatem supernaturalem designari arbitrantur. Cum enim (ait Palacios) Sapientia sit lux vera, meministi lucis à se factae: lucis scilicet corporalis, lucis gratiae, ac demum lucis gloriae. In primis sit nobis sermo de profusa à Deo in nos gratiae luce. Certè hoc lucis, seu luminis vocabulo solet in litteris inspiratis metaphoricè appellari quaecunque gratia supernaturalis, sive illa auxiliatrix sit, vocatrix, & excitatrix; praeveniens, concomitans, & subsequens; sive sanctificans, justificans, & gratos nos Deo faciens. Quemadmodum etiam peccatum solet tenebrarum nomine designari. Obvia sunt ex facris litteris testimonia. Paulus 2. ad Corinth. 6. vers. 14. Quae participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Et ad Ephes. 5. vers. 8. Eratis aliquando tenebrae, de Flores in Eccles.

bra, nunc autem lux in Domino. Et plura alia his similia, quae infra donabo.

933 Illud unum hic non praetermittam, quod ex mundi Genesi desumitur. Terra enim & aqua, quae in tenebris jacebant, viderunt lucem magnam divino jussu coruscantem, & omnia illustrantem, longè amandatà caligine. Quid igitur hoc? Ad nostram justificationem id transferunt Ecclesiae Doctores; animae quippe nostrae peccatis perobscurae, ac decolorae; ignorantiae abyssu sepultae & obrutae jacentes, subito divinae gratiae lumine collustrantur. Quae porò intelligentia videtur esse Pauli 2. ad Corinth. 4. vers. 6. Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Ad primævae lucis creationem, & praecedentium tenebrarum fugam, respectum fieri ab Apostolo, sacri Interpretes rectè abitrantur: & de divina gratia in animis nostris coruscante, & peccati caliginem disjiciente, sermonem esse minime dubitant. Prius meminit (ait ibi Sanctus Chrysostomus Homil. 8.) eorum, quae in principio creationis facta sunt, nempe sensibilis solis, & sensibilium tenebrarum, monstrans, quod istud majus est opificium. Appellat majus opificium ipsam peccatoris justificationem, quae perficitur meritis Christi, divinae gratiae lumine operantis. Sancto Chrysostomo adnecto Drogonem Hostiensis Episcopum de Sacramento Dominicae Passionis, ubi ita praecclare Deum ipsum mundi conditorem alloquitur. De abyssi terram formas, & de terra celos. Peccator abyssus est, sed cum de tenebris facis lumen splendescere ut abiciant opera tenebrarum, & indicantur arma lucis, novum caelum & novam terram creare cognosceris. Subtextit deinde: O creator optime, si usque modo operaris opus hoc, quod operatus es in diebus antiquis, quare & in anima mea opus hoc non operaris? Anima enim mea inanis est & vacua & tenebrae super faciem abyssi; dic ut fiat lux, & fiet: jam creasti eam, ut aliquid sit; crea eam, ut lux sit.

primam lucis creationem ad nostram justificationem Doctores referunt.

2. Corint. 4. vers. 6.

S. Chrysost.

Drogon.

934 Sed singillatim hoc divinae gratiae lumen expendamus. Atque in primis, si de hominum justificatione, vel à prima adhuc vocantis, & excitantis gratia usque ad gloriae consecutionem loquamur; id planè sub lucis metaphora pulchrè commendatur à Rege pacifico Proverbiorum 4. vers. 18. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Tigurina; Via Justorum sicut lux inclarescit. LXX. Via justorum similiter ut lux fulgent. Vatablus; Splendescit usque ad perfectionem diei, quae ad meridiem. De honesta viam appellat. Hanc si usque ad Beatitudinis consecutionem protrahamus, similem esse ait solari luci exorienti, & progredienti per incrementa sua usque ad meridiem. Et quemadmodum sol prius exoritur ab aurora, deinde indefesso motu progreditur, ac demum praefulgidam profundit meridiem: sic Justorum vivendi ratio exordium capit à Dei gratia excitante, ab illustrationibus, & inspirationibus divinis, quasi ab aurora, à primo mane, & Luciferi ortu. Deinde si primae gratiae respondeatur, praesto adsunt augmenta virtutum, atque cognitionis Dei cum gratia sanctificante animis infusa, quasi solis, seu diei incrementa, X

Prov. 4. 18. Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Tigurina; Via Justorum sicut lux inclarescit. LXX. Via justorum similiter ut lux fulgent. Vatablus; Splendescit usque ad perfectionem diei, quae ad meridiem.

menta, & progressus. Ac denique si sic iustus pertranseat usque ad Beatitudinis consecutionem, nempe usque ad splendorem visionis Dei, & dilectionis fervorem, constanti perpetuoque die, & meridie perfruetur. His splendorem asfundamus.

935 Etenim lux splendens vocatur à Salomone lux aurora; cui commodè assimilamus vocantem, & excitantem Dei gratiam, inspirationem & illustrationem divini afflatus: quibus nos Deus ad poenitentiam excitat, & ad respicientiam trahit. Hæc est prima diei nostræ, sive justificationis lux, quâ Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1. vers. 9. & de qua Job 25. vers. 3. Super quem non surget lumen illius? & David Psal. 18. vers. 7. Neque est qui se abscondat à calore ejus. De hac divinæ gratiæ illuminatione agebat David Psal. 42. vers. 4. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Id est, veram tui notitiam, & illustrationem, quæ est verum auxilium gratiæ, ut exponunt ibi Euthymius, Genebrardus, & alii. Ipsa me deduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Hoc est, me perducunt & introducent ad Christum, ad fidem, probum fidelemque facient; ut rectè Genebrardus, addens insignem esse locum contra Pelagianos, pro auxiliis gratiæ. Nec dissentiunt Basilus, & Augustinus ibi. Qui ad finem Psalmi subjungit, à Regio Vate hic desiderari illam vocantis gratiæ lucem, quæ & vox Dei est interna, carmen, sonus, & melos suavissimum. Erigit (homo in hac precatone) auditum ad illam vocem Dei internam, audit rationabile carmen intrinsecus. Ita etiam desuper in silentio sonat quoddam non auribus, sed menti, ut quicumque audit illud melos, tadio afficiatur ad strepitum corporalem, & tota ista vita humana tumultus ei quidam sit impediens auditum superni cuiusdam soni nimium delectabilis, & incomparabilis, & ineffabilis. Pulcherrimè dictum. Sed quid commune habet lux, & illuminatio cum voce interna, carmine, sono, & melos suavissimo? Dicam, si fidem Nicolao Leonico adhibeas, qui lib. 2. cap. 23. scribit, in Ægypti Thebis statuum reperiri, quæ ad solis exortum solaribus radiis repercussa suavissimum edebat sonum. Certè sol divinæ illustrationis, cum in animam sese infundit, non tantum splendorem asfundit, sed sonos edat suavissimos, suavissimamque melodiam spectantem ad vitales actus cognitionis, & delectationis. Psal. 39. 1. Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Sanctus Cyrillus in Catena aurea Danielis Barbari in Psalmos, legit: nobis illuxit. Quid inde? Subdit David: Et immisit in os meum Canticum novum, carmen Deo nostro. Ecce quo pacto divina gratia mentes collustrat, & melos edat suavissimum.

936 Sibi consonat Regius Cantor Psal. 43. 4. Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui; quoniam complacisti in eis. Ubi salvare est operari opera salutis æternæ, juxta illud Bernardi de Gratia & libero arbitrio, initio: Gratia operanti salutem, cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur. Consentire enim salvare est. Eò igitur spectat Vates, ut ostendat, salutis opus non posse naturæ viribus effici, sed gratiæ illius, quæ est sancta illumi-

Gratia accians similis luci splendentis, sive aurora.

Joan. 1. 9. Job. 25. 3.

Psal. 18. 7.

Psal. 42. 4.

S. August.

Quid commune habet lux illuminans cum voce, & carmine.

Psal. 39. 1.

Psal. 43. 4.

Gratia illuminatio.

S. Bernard.

natio, lucem præstat & splendorem animis asfundit. Vox enim illuminatio Basilio, Euthymio, Cyrillo, & aliis auxilium Dei significat. Quod verò subtextit: quoniam complacisti in eis, significat hanc gratiam exceptantem vel cooperantem esse vocationem secundum absolutum Dei beneplacitum de obtinenda salute nostra per divini afflatus illuminationem. Cui expositioni non obstat, quod per dexteram, & brachium intelligas Dei Filium, & Spiritum sanctum, ut non pauci intelligunt. Nam Deus per subsistentem notitiam, & amorem increatum operatur nobiscum actus supernaturales liberos mediante illustratione, & inspiratione prædicta, quæ utrique personæ respondet tanquam participatio splendoris, amorisque divini. Atque hoc sensu illuminatur vultus Dei. Rectè ergo Sanctus Cyrillus relatus in ea Catena Barbari ad hunc Psalmum. Vultus Patris Filium vocat; est enim imago illius per omnia illi similis. Illuminatio verò ab eo in mentem, & in cor immissa, eorum qui ad redemptionem vocantur, intellectus est, qui per se ipsum, per Spiritum sanctum illuminatos, ad Deum ducit. Hæc est illa lux, hæc illa illuminatio, qua Saulus Persecutor ad Christi fidem evocatus est: Subito circumfulsit eum lux de celo. Actor. 9. 3. interprete Augustino Tom. 8. de Gratia, & libero arbitrio cap. 15. fine; & Tom. 4. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. fine. Atque in hunc sensum verba Proverbiorum, quæ versamus, vocat S. Gregorius in Ezech. Hom. 5. Justorum femina quasi lux splendens, &c. In eorum enim animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ jam pars diei est: aurora scilicet, à qua dies incipit. Vide Sanctum Chrysostomum Hom. 7. in Joannem, & Sanctum Ambrosium Serm. 8. in Psal. 118.

937 Rursus justificationis progressus, sive hominis in sanctitate profectus, rectè assimilatur solari luci sese intendenti, & augetenti. Quod probant illa Salomonis: Quasi lux splendens procedit. Hebraicè, vadit & illuminat. Tigurina; Sicut lux inclarescit, quæ subinde fit illustrior. Hæc videtur spectare David Psal. 88. 16. Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Ubi S. Basilus: Lucem, quæ abs te est, adepti, ac legitimam justitiam executi, atque ex ea illustres facti. Sic justi ambulare dicuntur, virtutum & sanctitatis progressu per divinæ gratiæ incrementa & uberiorem lucis copiam. Unde mundi Magister apud Joan. 12. 35. 12. vers. 35. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant. Et Paulus ad Ephes. vers. 5. 8. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate. Et Psal. 118. v. 104. Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis. Ubi Verbum est ipsa Dei gratia, quæ solet in sacra Scriptura, & à Patribus appellari Dei locutio, & doctrina. Isai. 40. vers. 2. Osæ 2. vers. 14. Joan. 6. 44. Et S. Thom. de Veritate quæst. 18. art. 3. in corpore: Dicitur autem interior inspiratio locutio quædam ad similitudinem exterioris locutionis. Gratia hæc ad instar lucernæ, & luminis esse dicitur, quæ, etsi mentem illuminet, pedibus, & semitis esse perhibetur, ut per sanctitatis progressum ambulemus, & usque ad perfectum diem gradus faciamus. Hoc etiam illud est, quod Apostolus monebat 2. Corint. 3. 18. Nos verò omnes, re-velatâ facie, gloriâ Domini speculantes, in eandè

Vultus Patris Filium, à quo illuminatur. S. Cyrill.

Actor. 9. 3.

S. Gregor.

Justificationis progressus, & in sanctitate profectus similis solari luci sese augetenti.

Joan. 12. 35. Ephes. 5. 8.

Psal. 118. 104.

Interior inspiratio est Dei locutio. S. Thom.

Progressus in sanctitate semper faciendi.

3. Corint. 3. 18.

imagi-

imaginem transformemur à claritate in claritatem. Sanctus Ambrosius; Clarius ad claritatem, & usque ad claritatem visionis beatæ. Contendendum semper à luce ad lucem transire, à claritate ad claritatem ascendere; gratia enim divina ad majora impellit animos; unde qui primâ Dei luce suffunduntur, sistere non debent ad primos veritatis fulgures, sed illustriores fieri, & ad altiora scandere studeant.

938 Verba chori fodalium Sponsi, & Sponsæ illa sunt apud Salomonem Cantorum 6. vers. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Certè Ecclesia Christiana commendatur in Justis, quorum femita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Sermo est de progressu, non ambulationis, sed augmenti illuminationis; de progressionem nempe in vera honestate, & sanctitate per succedentia lucis, & gratiæ incrementa. Unde gradatio fit ab aurora ad lunam, à luna ad solem. In primis Ecclesia progredi dicitur ut aurora consurgens; ut diei exorientis crepusculum, ut primum diluculum. Quo nostræ justificationis primordia bellissimè exprimi arbitrat S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 15. Quasi aurora electorum surgit Ecclesia, quæ pravitatis pristinae tenebras deserit, & sese in novi luminis fulgorem convertit. Deinde pulchra ut luna prædicatur; ut luna nimirum plenè nitens, ac toto orbe splendida. Et quidem cum aurora fit lucis initium, lunaque fit quoddam lucis incrementum; luna simulacrum gerit progressionis cælestis lucis, quâ magis magisque collustrantur justi, & in virtute progressus faciunt. Sic nimirum (ait Sanctus Gregorius in Commentariis in Cantica) quæque anima, quæ in sanctam operationem se extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Denique electa ut sol dicitur; ut designetur plenitudo lucis, & ultimus conatus in sanctitatis progressionem, cui succedat summa illa lux meridianæ clarior, scilicet Beatitudo. Sic enim Gregorius: Dum verò magis ac magis crescit, & de die in diem, per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfecte accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat, quæ prius solis peccatoribus imitanda apparebat, modo in die ambulantis lumen veritatis manifestat. Subinde jam Ecclesia uberi, & multiplici gratiæ luce cornusca, magis magisque augetens, dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata. Ex Græco vertas: terribilis tanquam apparitio lucis.

939 Ex hac gratiæ cum luce similitudine, comprobatur primò ejusdem gratiæ necessitas ad bonum opus. Oculis (inquit Sanctus Fulgentius ad Theodosium Senatorem) factus est ut videre lumen possit, sed videre non potest, nisi illi lumen adsit: ita bonum, quod facis, gratia adscribendum: nam quod videt oculus, beneficium est luminis; quo si careat, cæcus remanebit in tenebris. Pereliganter dictum.

940 Secundò, lucis metaphorâ exprimitur, quam parata sit Dei gratia cæcis peccatorum oculis, quam cupidus Deus sit nostræ salutis, quantâ suam gratiam festinatione, & liberalitate omnibus elargiatur, qui solem P. Ildeph. de Flores in Eccles.

S. Ambros.

Cant. 6. 9. Ecclesia perfestioni incumbens describitur, dum militat.

S. Gregor.

S. Gregor.

Idem.

Gratia necessitas ad bonum opus. S. Fulgent.

Quam parata sit Dei gratia peccatoribus.

sum oriri faciat super bonos, & malos. Matth. 5. vers. 45. Nisi enim rebelles luci simus, Matt. 5. 45; nolentes lumen suscipere, præsto adest copia lucis, absque personarum acceptione, ad bene operandum. Hoc illud Isaiæ est cap. Isai. 58. 8. ubi loquens de iis, qui egenorum necessitati aliquid impendunt operæ & pietatis, promittit: Tunc erumpet quasi manè lumen tuum. Hebraicè; sicut aurora. Ad quæ verba Sanctus Chrysostomus in Homil. 55. ad cap. 16. Matthæi ita præclare, & opportunè: Non dixit, apparebit tibi lux, sed scindetur. Ut velocitatem scilicet & copiam dantis exprimeret, utque hoc verbo intelligamus, valde illum nostræ salutis cupidum esse, quodque muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit, cum nihil sit, quod inestimabile dandi desiderium prohibere possit. Quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis esse ostendit.

Ad extremum observo, hanc divinæ gratiæ lucem, appellari lumen indeficiens, non quia amissibilis non sit, sed quia in statu patriæ simpliciter est incorruptibilis; & quia in statu viæ, licet ex parte subjecti sit corruptibilis, de se tamen non habet principium corruptionis. Vide Suarium de Gratia lib. 11. cap. 1. num. 23.

941 Nota est, & in Scholis versata sententia de lumine gloriæ requisito ad videndum Deum clarè; sive illud habituale sit, sive actuale quoddam Dei auxilium supernaturale confortans intellectum, aut distinctum, aut non distinctum ab ipsamet visione. Illud unum certum sit; requiri lumen aliquod altioris ordinis, quo beetur; ut suadet illa pii Vatis Psal. 35. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Priori loco lumen Dei divina ea illuminatio, quæ appellatur à Theologis lumen gloriæ eveniens beati mentem ad Deum; posteriore, divina facies, sive essentia clarè visa. Cum enim Deus lucem inhabitet inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, per lumen videlicet naturale quantumvis perfectissimum, absolutissimumque; necessarium omnino est supernaturale auxilium luminis gloriæ, quo nos irradiet Deus, & illuminet, ut eum clarè intueamur, & videamus sicuti est.

942 Extat ad rem nostram præclarum testimonium apud Isaiam cap. 60. vers. 19. prædicentem triumphantis Ecclesiæ magna. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Negat in primis cælestis Beatitudinis lumen futurum esse sicut lucem solis, aut lunæ splendorem: sol enim non semper nobis conservat quem induxit diem; diurna illius lux nocturnis interrumpitur tenebris. Luna verò instabilis est, ac decremento minuitur, mensurisque spatius nobis eripitur. Longè aliter cælestis Jerusalem luminaria; nunquam

Velocitas Dei suam dantis gratiam. S. Chryso.

Gratia quomodo indeficiens.

M. 35. 9.

r. ad Timotheo. 6. 16.

Isai. 60. 19. Gloria luminis nunquam erunt occidua.

§. III.

De indeficiente Gloria lumine, constantem & æternum perfundente meridiem.